

DISSE^TRATI^O THEOLOGICA^{27.}

D E

DIE TERTIA,
QUA CHRISTUS RESURREXIT,
Act. Cap. X. v. 4o.
E J U S Q U E
M Y S T E R I O,

Q U A M

In Alma & Perantiqua Universitate Heidelbergensi

P R A E S E S

JOH. CHRISTIAN KIRCHMEJER,

SS. Theologiæ Doct. & Profess. Consil. Ecclesiast. Pal.
& Eccles. Reform. ad S. Petr. Past.

Atque

R E S P O N D E N S

JOHANNES TILEMAN d. SCHENCK

Hasso - Marburgensis

Placida DD. Commilitonum Disquisitioni
IN AULA ACADEMICA WILHELM.

Hor. consuetudinaria. A. d. 15 April. Anno M. D CC XVII.

Exponunt.

H E I D E L B E R G AE ,

Ex Typographo JOANNIS MAYERI, Typogr. Anlico - Academi.

*Viro Prænobilissimo, Amplissimo,
Consultissimo*

**D. FRIDERICO
CASIMIRO
TILEMAN d. SCHENCK,**

COMIT. PALAT. CÆSAR. ET REIPUBL.
BREMENSIS CONSULI GRAVISSIMO,
PATRUEO SUO, PATRIS LOCO

AD CINERES USQUE COLENDO

Hoc specimen Academicum

Animo obsequiosissimo & mente
devotissima

Offert

Joh. Tileman d. Schenck
Respondens.

De die qua Christus resurrexit ,
Tertia , ejusque mysterio.

§. I.

Sapientissimus Regum Salomo , quando observaverat omni rei esse *in tempore statutum & fixum*, atque omni voluntati sive beneplacito, tum *DEI*, pro sua sapientia ordinantis, tum *hominis* diverso studio gaudentis, esse *in tempore opportunum*; idque variis, tum eorum quæ casu fieri, tum quæ ab arbitrio hominum pendere videbantur, exemplis probaverat *Eccles. 3. 1. - 9.* Agnoscit quidem *τα καπτιανα* hominum, Deum tamen fatetur *unumquodque facere pulchre in tempore suo*, atque homini, licet non assequatur opus Dei à principio ad finem penitus, in cor dedisse *θηγην την h. c. naturalem propensi nem ad pervergationem seculi & temporum, & ejus quod in iisdem sit.* Vid. Geier in *h. l.* Et sane utile est, atque jucundum *τα απαρα θεος τως των μαστιν πολιτεια καθορισθαι* Rom. 1. 20. adeoque ad ipsa non modo opera, sed & eorum harmoniam temporumque momenta attendere, & rationes eorum modeste investigare. Quemadmodum enim divina potentia atque providentia est, quod omnia fiant eo, quod destinavit & decrevit, *tempore*; ita summa sapientia indicium facit, quod omnia eveniant *opportune*, in justa videlicet mediorum ad finem ultimum subordinatione atque aptissima harmonia, ut omnia Dei opera sint quasi unum opus & unius structura partes, ex quam *καταργησου* & concinna dispositione operis totius pulchritudo reluceat.

A

§. II.

§. II.

Arduum sāne opus est, *resuscitatio Iesu Christi*, totius negotiū salutis centrum. In eo enim *τοῦ ὑπερβαλλον μεγέθος της θυματείας* *ἀντεκάτε την ἀνεγένετον την κρίσιν της ιχνους αὐτοῦ* *ην ἐπιρρυνας επ τῷ χριστῷ* deprehendimus Ephef. 1. 19. quod factum *dia της δόξης τῷ πατέρᾳ* Rom. 6. 4. ex quo Christus declaratus est *Filius Dei* *εν θυματείᾳ Rom. 1. 4.* & ex carcere quasi dimissus, *justificatus est in Spiritu r. Tim. 3. 16.* atque consummatus *κυριος και χριστός* factus est. Act. 2. 32. 36. in quo nostra & *justificatio*, Rom. 4. 24. & *Sanctificatio*, Rom. 6. 1. -- 12. Phil. 3. 10. & *Libertas Novi Test. Coloss. 2. 12.* & seqq. Et conditio fidelium *cœlestis* Ephes. 2. 6. & beata *resurrectio carnis nostrae*, nisi Christus suscitatus esset. r. Cor. 15. 17.

§. III.

ITaque non modo juxta consilium Patris surgere debuit Filius, sed & statuto atque *opportuno*, quod in decreto aeterno definitum erat, *tempore*; Erat illud *tertius a morte dies*, idque secundum Scripturas. 1. Cor. 15. 4. Hic terminus saepè à Christo prænunciatus Joh. 2. 19. Matth. 16. 21. & 17. 23. & 20. 19. Luc. 9. 22. & 24. 7. & 18. 33. Marc. 9. 31. & 10. 34. ejusque præludium datum, quando amissus; tertio die à parentibus inveniri, iisque se reddere voluit Luc. 2. 2. quod & per Jonæ signum præfiguratum ipse docet Matth. 12. 40. Cuius etiam figuram Abraham Iffiacum die tertio Gen. 22. 4. *εν παραβολῃ* re-dicens Hebr. 11. 19. & Hiskias die à denunciata morte tertio in templum ascensurus, exhibuit: Reliquos si qui sunt, personales & historicos typos mittimus. Non defuncti etiam legales: qui ex contracto cadavere immundus, *tertio* die aquis separationis, cincribus ex vacca Rufa mixtis, conspergendum erat, quod initium & pignus plenæ purificationis, die septimo exspectandæ Num. 19. 12. *Die tertii* à seditione Korah, per virgam miraculosè florescentem & amygdala

...
dala proferentem Aaroni confirmatum est Sacerdotium, Num. 16.
41. & 17. 8. De votivi aut voluntarii *sacrificii carnibus* ipso oblationis die, & die postero comedere licebat, non autem die *tertio*, quo quicquid ex carne oblata & *morta* residuum, erat comburendum, quoniam Christus abjecta mortalitate, *die tertio* vita crat restituendus Levit. 17. & 19. 6. adeoque vivus non quaerendus inter mortuos *Luc. 24.5.* Ad hunc tridui resurrectionis Christi terminum etiam respicitur, *Hos. 6.2.* denique adeo hoc notum erat, ut *Iudei* eventum metuentes, peterent sepulcri custodes, ad *tertium* usque diem *Math. 27.64.*

§. IV.

Operæ itaque pretium est, tum quo in modo tot prædictiones totque figuræ impletæ, cernere, tum vero quæ hujus circumstantiæ tanta sollicitudine prenotatae, & tam saepè inculcate *Ratio* fuerit, inquirere; *Tertium* à morte Christi *diem* fuisse, qua Christus resurrexit, referunt Emauntici *Luc. 24.21.* atque Apostoli *i. Cor. 15.4.* *Act. 10.40.* & ipse Jesus *Luc. 24.46.* afferunt, totaque Ecclesia in symbolo fatetur: Quomodo vero cum historiæ veritate congruat, non eandem conciliandi rationem ineunt Interpretes. Mortuum Jesum & sepulcro illatum die septimanæ sexto, qui Veneris nobis dicitur, ex Evangelistarum testimonio constat; Erat enim *parasceve* Judæorum *Joh. 19.42.* dies sc. ante Sabbathum septimo die celebrandum, quo *Iudei* juxta *Exod. 16.5.23.* ad hanc festivitatem quiete celebrandam, omnia præparabant. Erat itaque προσάθβατον interprete Marco cap. 15. 41, quod Latini ex gentilium ritu *cenam puram*, hebræi autem *אֶתבָּרְאָה* vesperam vocant; Licet enim & reliqua festa magna suam habere videantur parasceven, quam *עֲבוֹדָת יוֹם טוֹב* nuncupant, proprie tamen & saltem juxta SS. Stylum, παρασκευην notat diem ante Sabbathum, quoniam in reliquis festis cibos præparare licebar *Exod. 12.16.* adeoque tali præparatione opus non erat. *Vid. Boch. Hieroz. p. i. p. 567.* quare verba *Joh. 19.14.* παρασκευην τε

naxa intelligimus non de die ante pascha, sed de paraseeve ad Sabbathum, ipso interprete Johanne cap. 19. 31. quæ paschatis vocatur, quoniam in festum Paschatis incidebat, uti nos dicere solemus, v. g. **Ostermontag** &c. quod vel inde evidens est quoniam, quod utique certum putamus, Christus eodem cum Judæis tempore Pascha comedit, quod præcedenti vespera factum fuerat, adeoque hæc dies mortis Christi paraseeve ad pascha esse non poterat; Do cent vero reliqui Evangelistæ suisse paraseeve ad Sabbathum, erat paraseeve & Sabbathum illucecebat Luc. 23. 54. quam ob causam Ecclesia primitiva, hoc die memoriam passionis & mortis peculiari festivitate celebrasse videtur. **Origenes** certè Paraseeven inter celebriora Christianorum festa refert, dum dominicos dies & Paraseeves & Paschatis vel Pentecostes tempora, tanquam dies sacros commemorat L. 8. contra Cels. edit. Frob. p. 758. & Constantinus M. cunctis sub Rom. Imperio degentibus præcepit, ut Dominico die ferarentur, atque diem qui est pridie Sabbathi similiter honorarent: in memoriam ut videtur earum rerum, que à communis omnium servatore istis diebus gesta perhibentur. Euseb. de vit. Constant. L. IV. cap. 18. Et Sozom. H. E. l. 1. c. 8. idem referens, addit. Diem vero qui Sabbathum antecedit, eo quod Christus crucifixus tum fuisset. Nobis germanis vocatur **Charfreitag** ut septimana ista die Charwoche / sive à carendo carena, propter jejunia, sive à vetusto vocabulo **Rarr** / quod multam sive paenam pro debito significat, unde **carrina** vid. Hospin. de Orig. Fest. Hoc die exspiravit Christus circa horam nonam Matth. 27. 46. Marc. 15. 32. adeo ut per tres ultimas diei horas mortuus, atque ante initium *vixibimus* Sabbathici sepultus, partem aliquam sexti in sepulcro exegerit.

§. V.

Resurrectionis tempus suis etiam characteribus definitum, ut facile dies hebdomadæ primus intelligatur; erat *una*, sive prima Sabbathorum Matth. 28. 1. quæ Sabbatho finito, prima erat

sequentis

sequentis septimanæ; Quum enim præteriisset Sabbathum summo
diluculo diei primi Marc. 16. 1. 2. primo Sabbathorum profundo
diluculo Luc. 24. 1. primo die Sabbathorum quum adhuc tenebræ es-
sent Job. 20. 1. οὐε σεβατον vespere Sabbathi, quæ more Romanorum
νυχθερον post med. nocte incipientium, illucescente die primo finiri
eensembaratur, Matth. 28. 1. egridentes mulieres & orto jam sole Marc.
16. ad sepulcrum venientes, Christum suscitatum audiverunt, quod
consentiens quatuor Evangelistarum testimonium ita omnes acce-
perunt, ut eundem hunc diem primum, resurrectionis Domini diem
crederent. Hinc factum ut hoc die convenienter, eumque celebra-
rent cultu divino. Joh. 20. 16. Act. 2. 1. Act. 20. 7. 1 Cor. 16. 2. quam ob-
causam dies dominica vocabatur Apoc. 1. 10. uti & hoc nomine ejus,
tanq. solennis & festi, mentionem faciunt Terrull. de Idol. c. 14.
Cyp. L. 3. Epist. 8. Ambrof. Enarr. in Ps. 97. Hieron. in Ep. ad
Gal. 4. 10. Augus. contra Adimant. c. 16. & Epist. 119. & de civitate
Dei. l. 22. c. 30. &c. vid. Paerson in Symb. Quon. vero mulieres primo
die ad monumentum venientes, & lapidem revolutum, & Chri-
stum suscitatum, & angelos testes resurrectionis offenduerat, dubium
relinquitur, qua præcisè hora surrexerit? faretur Dionys. Archiepisc.
in Epl. Bibl. PP. T. 3. p. 354. quod ab Evangelistis nihil accurate, per-
fecteque traditum, qua hora surrexerit, unde forte est, quod refert
Gregor. Turon. hist. Franc. l. 1. c. 23. Bibl. PP. Tom. II. p. 711. quod
multi putent dominicam resurrectionem die septima factam: No-
ste inter diem septimum & primum resurrexisse, cum aliis etiam
Ambrof. Tom. 5. p. m. 166. doceat, & Hesych. Presbyt. Hierosol. ubi Evan-
gelistarum relationes conciliat, dicit: in tantum nox transierat, ut
effer tempus gallorum cantus, qui lucem futura lucis præcedis, ideo-
que etiam eo articulo temporis, non autem vespere, qua Sabbathum
insequitur, finientes jejunia, letari incipimus & nos oblectare. vid.
Bibl. pp. T. 12. p. 190. Probabile nobis videatur, eo temporis articulo
ad vitam revocatum, quo terræ motus factus, & angelus de celo
descendens hunc quasi dimisit captivum. De terræ motu consentit
Pasehas, Ralbert, in Matth. c. 28. 2. quando ei tanq. effecto, resurre-

ditionem innecit tanquam causam. Tremuit terra, non quia angelus descendit de caelo, sed quia ab inferis resuscitavit Dominus. Nec minor puto, quam fuit, quando emisit spiritum, quia uterque motus terra vere insuetus fuit, quando magna ac plures Asia civitates corruiſſe leguntur: Et vero simillimum est, Matthaeum hoc obſervasse tanq. ingens miraculum, quo Deus comitari voluerit, ut morientem, Matth. 27. 51, sic & resurgentem, atque divinae ejus attestari gloriae, fructusq. ut ibi mortis, ita hic resurrectionis indicare Hebr. 12. 27. porro & gloriosum ipsi erat, quod rursus in orbem habitabilem introducto primogenito, adessent angeli ministri, eumque adorarent Hebr. 1. 6. Denique Custodes, qui sepulcrum vacuum ingressi non videntur, ita tamen haec gesta retulerunt, ut Sacerdotes Christum surrexisse crederent Matth. 28. 12. Jam vero Matthaeus ita refert terrae motum, & angeli descensum v. 2. custodumque in orbem adventum ut colligi possit, haec accidisse postquam mulieres urbe egresiæ, & paulo ante quam ad monumentum pervenissent, adeoque oriente, vel jamjam oritur sole. Itaque die XV. mensis Nisan circa horam nonam mortuus, & sub finem noctis, quæ diem XVII. præcedebat, resurgens, vix quadraginta horas inter mortuos exegit, quemadmodum suscitatus, totidem dies in hoc mundo versatus, donec in celum ascenderet.

§. VI.

Brevius autem videtur hoc temporis intervallum, quam quod in signo Jonæ prænotatum; Jonam, sive nomen, sive munus, sive eventum spectemus, typum fuisse Jesu Christi, demonstrari facile posset: Inter alia acute & ad rem observat Hieronymus egregiam inter statum Jonæ, in ventre pisces, atque Christi sub morte, convenientiam: Jonam cetus pisces exceptit immersum, sed non contigit devoratum: & quem malitia hominum perdidit, bestia esuriens cestodivit, plenis visceribus famem patitur, & in pradam: quam absorbuit nihil sibi licere miratur: Quis est iste, qui inter avidos rictus absumi

(7)

absumi potest, consumi non potest. Cibus est, corruptio non est. Tra-
disur perditionis profundo, & servatur ipsius mortis obsequio &c.
vid. Tom. 9. Epist. 29. de Resurrect. Dom. Non autem tantum dominus
in hoc signo statum Jonae in ventre piscis, & sui in corde terrae
comparat, sed & utriusque durationem, **tres dies & tres noctes**.
de Jona legimus quod in ventre piscis fuerit, **tres dies & tres noctes**.
Jon. 2. 1. & Christus hoc signum in eo impletum iridocet, quod &
ipse futurus sit in corde terrae **tres dies & tres noctes**; quod quomodo
cum mora Christi in sepulcro converiat, queritur? Veteres quidam
tres horas tenebrarum tanquam noctem, in computum vocarunt,
quod nec Theophylactus in Matth. c. 28. improbat: *Sexta hora pa-*
rasceveres crucifixus es; ab illa ad nonam fuere tenebrae, per has mibino-
rem intelligas; iterum à nona lux, hoc est dies: *Ecce diem & noctem;*
iterum, nox parascives & dies Sabbathi. Ecce secundam diem &
noctem, nox quoque Sabbathi, & diluculum dominica, juxta Mat-
thaeum, quod illucescet in unum Sabbathorum: à diluculo enim &
dies totus numeratur; Ecce tertium diem & noctem. Atque hoc
consilium solem capisse abbreviandi diem & noctem passionis, ne
demoraretur salutem mundi, rhetoricitur Ambros. de interp. L. 1.
c. 5. inter recentiores Cloppenburgius eandem sententiam refert.
Non tamen ea satisfacit Augustino, quoniam nec hoc modo tres
erunt dies, licet tres numerentur noctes, vid. Tom. 4. de consensu
Evang. l. 3. p. 507. Tichonius adversus hanc computationem, codem
utitur argumento; videlicet, quod nec hac ratione tres noctes &
tres dies integræ, si à tenebris, tanquam nocte, fiat numerandi initium,
quia sic erunt tres noctes, duo vero tantum dies; si vero lu-
cem has tenebras præcedentem, putare velis diem **primum**, seque-
retur, Domini diem esse quartum. Porro observat ejusmodi
signa non turbare **elementorum rationabilem cursum**: nec ali-
quid in hoc sexto die mutatum, cui tres illæ horæ non accessere,
ut constaret XV. horis; Et si illud tempus tenebrarum & redeun-
tis lucis, pro nocte & die habebis, à sexta præcedente & septima
sequentे distinctis, sequeretur hebdomadam istam habuisse dies
octo,

Octo, atque bis fuisse Sabbathum: Denique compendio probat, tres horas tenebrarum, non pertinere ad sepulturam domini, eo quod adhuc viveret. Lib. de Regul. reg. 5. vid. Bibl. pp. T. 6. Alii initium hujus temporis deducunt a nocte precedente, qua proditus; & Theophylactus quidem, dum tres horarum tenebras connumerat, tanquam cum sequenti luce pecuniale uxoriupor facientes, ita rationes confert, ut Christum ad vesperam diei septima resurrexisse dicat: quod cum durum nimis sit, & communis de Resurrectionis Domini tempore sententia adversum; alii idem servantes initium, sed tenebrarum tempus sexto die; relinquentes finem ponunt in vespera diei primi, quando Christus sese discipulis manifestavit, uti quidam recentiores; potest autem & huic interpretationi illud Tichonii opponi, sc. non posse huc referri integrum noctem & horas novem diei sexti, eo quod adhuc viveret, nec diem primum à diluculo ad vesperam, eo quod jam resurrexisset, & sese quibusdam ostendisset, adeoque nec ab initio noctis sexti, nec ad finem diei primi, dici potest fuisse in corde terræ. Maiunt ergo plerique Veterum & Recentiorum hoc expomere per Syncedochen, ut pars intelligatur pro toto, quod nec displaceat Theophylacto l. c. Augustinus vero adstruit dicens. Restat ergo, ut illo scripturarum usitatisssimo loquendi modo, quo à parte totum intelligitur, inveniamus extremum diem; tempus paracevus, quo crucifixus & sepultus est dominus, & ex ipsa extrema parte totum diem cum sua nocte, qui jam peractus fuerat, accipiamus: medium vero id est Sabbathi diem, non à parte, sed integre totum; terrium rursum, à parte sua prima, id est à nocte totum cum suo diurno tempore, ac sic erit triduum; Quemadmodum illi octo dies, post quos ascendit in montem, quorum medios integros attendentes Matthaus & Marcus dixerunt sex dies: quod Lucas dixit post octo dies. Tom. IV. de consens. Evangel. atque dicit: Antiquos patres ita exposuisse, quod Christus de tribus diebus & tribus noctibus dixerat. Vid. Tom. IV. quast. 65. Dialog. q. 13. vid. eund. de Trinit. l. 2. c. 6. sic etiam curvodoxi, intelligit Hieron. in Jon. 2. 1. Et Euseb. Episc. Gallic. de Symb. homil. 2. agnoscit hanc regulam doctissimorum, qua pro parte totum

... 9 ...

torum dicitur Bibl. pp. T. VI. p. 630. Nec obstat quod Christus exprimat tres dies & noctes, siquidem familiari locutione hebraeorum, compositionibus vocum minus assuetorum, intellexit per diem & noctem *ruxθημερον* vel *ημερουντον*, quod integrum scil. 24. horarum spatium & diem & noctem comprehendit, uti Gen. 1. saepius, *vespera & mane dies unus*. Adde Dan. 8. 14. & ¶. 26. quod & Galenus monet de Crisib. Lib. 2. & Basilius observavit hoc de more scripture esse, in Hexam. hom. 3. vid. Paer. in Symb. artic. 5. Hujus vero quælibet pars per Synechdochēn *ruxθημερον* vocari potest, ut v. g. tres horæ ultimæ diei sextæ, totam diem sibi vindicent, cui etiam nox sua, quævisa est jam transacta, conjungitur. Euseb. Episc. Gallic. l. c. consimiliter Tichon. lib. de Regulis, Reg. 5. de temp. Noctis autem & diei 24. hora unum tempus est, nec adjiciuntur noctes diebus nisi certa ratione. Quod si nox & dies unum tempus est, novissima hora diei & diem totum & noctem transactam retinet; Itaque sic Christus in sepulcro intelligitur fuisse tres dies & tres noctes, ut nox tanquam diem præcedens numeretur, b. c. ut in die præsenti nox sit præterita, & in nocte præsenti dies crastinus, quod obserante Tichonio, competit operibus Dei, ut non dies obscuraretur in noctem, sed nox luceat in diem. Ipsa enim nox illuminatur, & efficitur dies, quod est figura eorum, que facta in Christo. Quoniam Deus qui dixit, de tenebris Lumen fulgere in cordibus nostris &c. Nox transvit, dies autem approximauit &c. prius enim est, quod carnale est; dein quod spirituale; Quando vero Christus diem præmisit, dicens tres dies & tres noctes: Idem Tichon. Resp. dies autem noctibus dignitate, non novitatis ordine præferuntur. Bibl. pp. T. VI. p. 61. Atque verum esse hunc verborum illorum sensum, neque aliud temporis intervallum indicari ista locutione, Christus ipse docuit, quando alibi saepius tertio die se resurrectum prædixit, quo juxta communem loquendi usum & dies mortis & resurrectionis comprehenditur, uti multis exemplis factis & profanis hoc probat Paer. in Symb. artic. 5. p. 402. neque minus Christum adimplevisse Jonæ signum dici potest, quod Jon. 2. dicitur dies tres & noctes tres fuisse in ventre pisces: Is enim qui

se Jona typum expressum receperat; quum eum exacte noſſet, (quippe qui etiam Jona aderat, quum in profundum ageretur, atque ē profundo ejiceretur.) cum quoque accurate explevit, tanto temporis spatio in sepulcro commoratus, quanto Jonas in Ceti ventre. Isidor. Pelus. l. t. Epif. 114. Adeo ut potius Christi tanquam antitypi exemplo discamus, Jonam non diutius in ventre pīscis, quam Christum in terra corde commoratum, videl. ad quadragesimam fere horam, quod utrinque mysterio non caruit; uti enim XL. horæ quas Jona in pīscē sepultus, XL. diebus, qui Ninivitis ad pœnitentiam concessi, ita XL. horæ, quas circiter Christus, viventium terra ejectus in sepulcro delituit, totidem quasi annis, quos Deus Judæos ad diem judicii ipsorum toleravit, exacte respondent.

§. VII.

QUæ vero definiti hujus temporis *ratio*, & quam ob causam sapientia divina, *tertium* à morte diem, resurrectionis terminum constituerit, indagandum. A typo hanc, & q. ultimam deducere, ut sc. is adimpleatur, nihil est, quum typus sit propter antitypum, & umbra ejusque ratio, pendeat à corpore; Expectat quidem Ecclesia *restitutionem post biduum*, ut *tertio die vivat* Hos. 6. 2. idque cum respectu ad resurrectionem Christi, unde colligeré licet, in hac resurrectionis dominica circumstantia, figuram quādam exhibitam fatorum Ecclesiæ, modique & temporis ejus restorationis, atque admirari debemus, profundissimam DEI sapientiam, quæ *αληθεια*, istam caput inter & corpus instituit, ut *ωρα* sit *καρπος γενεν*, & eadem cum capite fata experiat. Non tamen ideo hoc Christo contigit, quia simile quid in Ecclesiæ fatis aliquando exspectandum, sed potius Ecclesiæ fata ita disposita Deus, ut Christo exemplari, responderet imago. Ex ipsius ergo resurrectionis sive natura, sive causis, sive fructibus, si quæ datur, petenda est hujus temporis *ratio*: In genere quidem, uti in certo temporis articulo, quicunque ille deum esset, Christus resurge-

... 11 ...

re debebat, ita magnum addebat momentum, istius articuli à Deo
definiti *predicatio*; Poterat enim exinde non tantum Christus a-
gnosci verus Propheta, sed & insignis in eo erat *character* M^cssiae, qui
in solo Jesu nostro *tertio die* gloriose resurgentे, quod nemini præter
ipsum contigit, conspicuus, quare tantopere hoc metuebant Judæi
Matt. 27. quod & ipse Christus *signum* dederat Matt. 12. & Apostolus
juxta scripturas evenisse urget 1. Cor. 15. 3. Quoniam vero eundem
habuimus characterem veri Messiae, si vel alium quemvis diem,
maxime talem, quo nemo aliis resurrexerat, Deus definivisset, at-
que prædictisset; videtur sapientiam divinam rationem intendisse
aliam, ob quam hunc præcise *tertium*, cœi tempus maxime *oppor-*
tunum constituerit; Non alienum est, quod quasi ex rei natura vul-
go assertitur, convenientissimum fuisse hunc diem *tertium*, quo-
niam si citius in vitam revocatus, dubitari potuisset, num mortuus
vere fuerit; Si tardius, exemplo Lazari *johan. 11.* corruptionem vi-
dere potuisset; Placuit ergo Deo, (verbasunt Cl. Witsii) tanti tem-
poris in sepulcro mora, quod & longitudine sua certitudini mortis
Christi attestaretur, & brevitate sua attemperatum esset Dei con-
silio, de Christo à corruptione præservando: *Tribus diebus mortuus*
esse voluit, ut nemo cum mortuum esse ambigeret. Chrysost. in Matth.
12. quare autem adeo suscitari sustinavit, & non quousque boni, qui
mortui sunt, alii suscitentur in fine mundi, expectavit? Dum quæ-
tit Petr. Alphuns. Dial. Tit. 11. Resp. Alii namque mortui peccata in
mundo plura commiserunt, quin & pro Adami delicto mortem, pœ-
nam sc. peccati suscepérunt &c. ille autem peccatum non habuit,
imo sponte sua & pro nostra redēctione occubuit: Eandem rationem
Richard. Eremit. Symb. Apost. Enarr. promitt. quia Christus non erat
debitor mortis, ergo non debuit differre usque ad finem, resurrectio-
nem suam: Quam parum autem hæc valeat ratio, ex eo evidens
est, quod Christo quam maxime mors illa fuerit peccati pœna,
quam nostro loco sustinuit, traditus propter peccata nostra Rom. 4.
Sanius est quod addit: *Non expectavit resurgere cum aliis in die ul-*
timo, ne crederetur penitus extinctus. Ibid. Bibl. PP. Tom. 26. imo ne

diu inter mortuos esset, & Patis atque Filii gloria Rom. 6. Rom. I.
 & nostra salus postulabat, quoniam non tantum per resurrectionem perfectum sese Sponsorem probavit, qui morteni moriendo vicepsit, ab ea autem adeo vinci & subigi non potuerit, ut videret corruptionem; sed & consummatum se Salvatorem exhibere, atque salutem promeritam, modo consummationi nobis applicare haud potuisset, nisi viator ex mortuis resurrexisset, qui κριτος σωσιμης εγγρος & μυστης Hebr. 7.22.8.6. debebat esse παππος ζων, ut ei το παντεληνος salvare posset, qui per ipsum adeunt Deum Hebr. 7. 25. Ita ut Novi Testamenti economia ante aperiri non potuerit, quam Christus executor ejus, in vitam revocatus, gloriosum corpus, tanq. certissimum satisfactionis praestitae, & salutis impetratae argumentum, sibi rursus univisset: adeo haec evidenter & certa sunt, ut expositione aut probatione ulteriori non indigeant; Nondum tamen docent, Christum præcise die TERTIO resuscitandum fuisse, quum ad quartum, vel quintum, vel aliud sequentem is impeditre corruptionem potuisset, qui cavebat ne ossa confringerentur.

§. VIII.

Fatemur in arbitrio Dei positum fuisse, quemcunque vellet, Resurrectioni Filii destinare diem, & si perinde erat, quocunque demum die ad vitam revocaretur, potuisse Deum definire quemcunque alium, licet nulla peculiaris subessest ratio, quæ hunc praillo opportuniorem faceret; Suspicamur tamen graves habuisse Deum cautas, ob quas rem ita disponeret. Ita enim decet nos sentire de sapientia Jehovæ, cuius cogitationes sunt valde profunda, Ps. 92. 6. quique onania facit sapienter Ps. 104. 24. Cum primis de hoc opere, quod omnium quasi operum divinorum apex & centrum est, illud præsumendum; & quim tempora cultus Levitici fuerint typica, & numeri dierum in aliis casibus & eventibus mystici, quare non arbitraremur huic etiam numero subesse MYSTERICUM? Facilius hoc nobis persuaderi patimur, si recordemur hanc temporis circumstantiam & olim aliquoties præfiguratum, & saepius à Christo prædictam, & quidem ita propositam, ut constet,

ster, non casu accidisse, sed ex sapientissima causa ita statutam esse, utpote quæ ad signum illud Matth. 12. ipsumque resurrectionis mysterium pertineret. Cor. 15. August. Epist. 119. quæ est ad Januarium op. tom. 2. multiplex & grave mysterium in circumstantia temporis, tum passionis tum resurrectionis Jesu Christi agnoscit, atque ad quæstionem, cur anniversarius dies celebranda Dominica Passionis, non ad eundem redeat anni diem, sicut dies, qua traditur natus? Resp. Hic primum oportet ut noveris, diem natalis domini non in Sacramento celebrari; sed tantum in memoriam revocari, quod natus sit &c. Sacramentum autem est in alia celebratione, cum rei gestæ ita remembrance sit, ut aliquid etiam significari intelligatur, quod sancte accipendum est. Eo itaque modo agimus Pascha, ut non tantum in memoriam, quod gestum est, revocemus, id est, quod mortuus est & resurrexit, sed etiam cetera, que circa ea attestantur, ad sacramenti significationem non omittamus. Et deinceps c. 9. quando agit de Sabbatho inter mortem & resurrectionem Christi medio, addit: quod non frustra factum esse credendum ab illo, qui est ante tempora, & per quæ facta sunt tempora, & qui venit in plenitudine temporum, & qui potestatem habet ponendi animam, & iterum recipiendi eam, & ideo non fatalem, sed opportunam sacramento, quod commendare instituerat, horam expectabat, cum diceret, nondum venit hora mea.

§. IX.

Quodnam autem in illo triduo MYSTERIUM lateat, in eadem Ep. in qua multa de rebus visibilibus, tanquam invisibilium figuris, Augustinus indagatur, ad numerum ternarium respicens, dicit: cap. 3. Quia vero in toto tempore seculinunc TERTIUM tempus apparuit, ideo resurrectio dominus triduana est: primum enim tempus est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia, ubijam manifestatio est sacramenti prius occulii in propheticō anigmate. Idemque mysterium etiam in eo observat, quod post XIV. illius mensis diem, adeoque septimana à Novilunio tercia hæc facta fuerint,

quon. *septenarius numerus solet in scripturis ad quandam perfectiō-
nem mysticus apparere.* Vid. l. c. cap. 3. & 5. Agnoscit ergo Augusti-
nus triplicem Federis gratiaꝝ *economiam*, quarum quilibet hebdo-
madam facit, atque putat, ideo Christum *tertia* ut septimana, sic
die resuscitatum, quon. ab ipsius consummatione *TERTIUM tempus*,
quod gratiae est & plenitudinis, initium dicit: Quomodo autem duo
præcedentes dies mortis & sepulturæ, duorum ante Christum tem-
porum, figuram exhibuerint, non satis exponit, nisi eo referre velis
quod de Sabbatho dicit cap. 13. *Solum celebrandum Sabbathum, tridu-
ditum est, quia antea erat requies mortuorum, resurrectio autem nul-
lus erat, donec veniret Christus &c.* Forte tamen ad illustrationem
sententiaꝝ Augustini dici posset, diem mortis & sepulturæ Christi,
in eo respondisse toti temporis ab Adamo ad Christum, quod *maledic-
tio*, uti tunc quidem terræ, & sano sensu Ecclesiæ, ita nunc maxime
Christo incumberet, qui in cruce mortuus, tanquam suspensus adeo-
que impurus Deut. 21. ad tollendam à terra maledictionem sepulcro
illatus; Quemadmodum vero in eo conveniebant utraque tempora
ante Christum, quod quodammodo sub maledictione adhuc essent,
in eo autem differebant, quod sub V. T. in terram Canaan, tanquam
in requiem introducti, accepissent promissionem, sed quasi in typo,
eceterum autem maledictionis adhuc existentis multa experien-
tur signa, & detinerentur captivi in fovea existentes *Zachar. 9. 11.*
Ita etiam Christus die mortis, ratione passionum consummatus, &
quoad spiritum cœlo illatus, nondum tamen justificatus, quamdui
sub maledictione corpus esset in sepulcro: Nolumus vero his inlin-
tere, quæ tantum ad Augustini sententiam illustrandam, ut diximus,
proferre placuit: Aliud MYSTERIUM idem in triduo isto reperit,
l. c. cap. 14. *Attende igitur sacrissimum triduum crucifixi, sepulti,
suscitati; Horum trium quod significat crux, in presenti agimus vita:
quod autem significat sepultura & resurrectio, fide ac spe gerimus.* At-
que prolixè & acute ibidem cum cruce Christi, ejusque partibus &
crucifigendi modo, crucifixionem veteris nostri hominis compa-
rat. His nihil addimus, nisi hoc forte, ut, si ita velimus diem cru-
cifixio-

cifxionis considerare eeu figuram hujus vitæ, in qua sub cruce sumus; Diem *Sabbati* qua Christus in sepulcro, tanquam exemplum & emblema status eorum, qui in domino mortui sunt, Diem vero *resurrectionis*, beatæ post resurrectionem corporis vitæ, mysterium spectemus.

§. X.

PREcessus tamen ipsius *Christi resurrectionis* MYSTERIO inhæribimus; per eam salvator consummatus, Dominus & Christus factus, Act. 2. 36. Ita sub finem anni tertii ministerii publici, de se ipso dicit, *se tertia die consummandum* Luc. 13. 32. brevitatem temporis, quod in histerris exacturus, cum respectu ad diem resurrectionis indicans. Est autem numerus ternarius perfectionis, ut ipse Deus in personis triinus est. Et quemadmodum negotii salutis, quod in resurrectione Jesu Christi consummatum, *Author* Deus triinus est, itatris diebus illud completere voluit, quod forte hac ratione conceperit licet, ut singulæ persona divinitatis, opus suum econsumum, quod in hoc negotio suscepserant, peculiariter modo hoc triduo executæ fuerint. Primus horum dierum erat dies *judicij*, quo condemnatum est peccatum, atque Deus *Pater*, ceu *Judex*, vindicatum de peccato sumens, poenam intulit sponsori; *Filius opus* erat non tantum ferre poenam, & sanguinem fundere, sed & eum *inferre* S. S. atque victimam repræsentando, comparere coram facie Dei pro nobis, ut absolutionem & benedictionem impetraret Hebr. 9. 12. quo cump̄imis officio functus est, quando spiritum commendavit in manus Patris, & animam à corpore separatam, tanq. sanguinem sacrificii celo inlatam, Deo judici stitit, corpore interea in sepulcro abscondito: Deniq; *Spiritus* & operis illius, & sententia Dei Patris judicis *Executor* est, qui TERTIUM sibi diem vindicat, quando sententiam Patris, Filium justificantis intimavit & executus est; Huic enim ut Spiritui Patris Jesum suscitantis, ipsa hæc Filii resuscitatio tribui videtur Rom. 8. 11: qui ergo numero & subsistendi & operandi

operandi ordine & modo *tertius*, suum hoc munus & opus *TER-*
TIO die exequi voluit.

§. XI.

HÆc ita cogitari possunt; Eo tamen propender animus, ut *myste-*
rium potius in **O**PERE **I**PSO, quod certis his *diebus* ob cau-
 fas mysticas adstringere voluit sapientia divina, quam in illius cau-
 fa vel *Authore* queramus. Quod si enim intelligamus rationes ob
 quas **S**EXTO die septimanæ Christus debuerit mori, **S**EPTIMO
 in sepulcro quiescere, & *octavo*, sive sequentis hebdomadæ **PRIMO**
 resurgere, eadem opera *mysterium* hujus **T**RI^U **I**agnoscemus: Die
 hoc *sesto* ex peculiari Dei consilio Christum debuisse pati & mori,
 vel inde est evidens, quod hoc divina ordinante providentia,
 præter spem atque Judæorum consilium ita factum sit, Matth. 26.
 3. 4. 5. Erat dies **XV.** mensis *Nisan* primus *Paschatis*, & isto anno *sex-*
tus septimanæ; quæ omnes circumstantiae totidem erant chara-
 cteres illius temporis, quo decebat Sponsorem per passiones con-
 summari, ut mortis & meriti fructus obsignaretur. Mensis *Nisan*
 erat à Tisri, initio anni civilis, *septimus*; debebat enim sub finem
 ceconomia veteris, opus suum perficere Mellias: Ab eo deinceps an-
 nus sacer initium ducebat, Exod. 12. quia à morte Christi incipitan-
 nus *gratia*, quando omnia fieri debebant *nova*, Apoc. 21. 5. ut qui-
 est in Christo, *nova* sit *creatura*, & quidem per *Novum* *Testamen-*
tum in sanguine Christi Matth. 26. *Tisri* caput erat anni *civilis* in
 memoriam *creationis* primæ. *Abib* vero anni *sacri*, quoniam cau-
 fa & conservationis mundi & Ecclesiæ, feminis Dei, nunc post la-
 psum non est opus *natura* creationis primæ, sed negotium *gratia*
 creationis secundæ, non Dei ut *Creatoris*, sed Christi *Rédemptoris*.
Tisri incidebat in æquinoctium *autumnale*, quod dura encipiebat
 hyems; *Ex* lapsu enim hominum factum, ut & terra mox mædi-
 etionem sentiret, & omnia mortis imperio subessent, uti etiam *no-*
vum *annum* *civilem* Judæorum mox sequebatur *dies afflictionis*;
 At vero Christus suum opus completere debebat mensē *Nisan*, qui
 incide-

incidebat in æquinoctium *Vernale*, à quo incipit formosissimus annus , quo D E O emittente Spiritum suum , omnia recreantur & *renovatur facies terra* Psam. 104. 30. Abib hinc dicebatur hic mensis Nisan Exod. 13. 4. quod hebraicis *spizam recentem sonat*, quoniam eo mense , in calidioribus istis regionibus , segetes ad vitam necessariæ maturescabant , emblemata fructuum mortis Christi , qui corpus fractum dedit nobis in cibum , atque à ejus morte larga misericordia est bonorum N. T. Ab æquinoctio illo dies noctibus sunt longiores , ut significetur novam lucem mundo tum affulsiſſe , pulsis per Christum erroris & ignorantiae tenebris. Non ab initio mensis Christus consummatus , sed in plenilunio , debebat enim Christus se exhibere in plenitudine temporis Gal. 4. Imo Luna decrescente , in quo etiam fructum mortis Christi observat *Augustinus*. Epist. 119. supra laudata; Ubi Lunam Adami , hominis peccatoris , & Ecclesiæ in mortalitate carnis constitutæ , figuram agnoscit; Porro non augeri lunam ad oculos nostros , nisi à sole recedendo , neque minui , nisi ad solem ex parte alia propinquando , docet ; Adeo ut quo minus terricolis appearat lucida , eo magis à superiori parte illustrata sit &c. Anima quippe humana recedens à sole iustitia , ab illa scil. interna contemplatione incommutabilis veritatis , omnes vires suas in terrena convertit , & eo magis magisque obscuratur in interioribus ac superioribus suis ; sed cum redire cæperit ad illam incommutabilem sapientiam , quanto magis ei appropiatur affectu amoris , tanto magis exterior homo corruptitur , sed interior renovatur de die in dieno , omnisque lux illa ingenii , qua ad inferiora vergebat , ad superiora convertitur , & à terrenis quodammodo auferatur , ut magis magisque huic seculo moriatur , & vita ejus abscondatur cum Christo in Deo ; quibus dein subiungit : Transitum illum de alia vita in aliam vitam , quod Pascha nominatur , à XIV. Luna voluit observari , ut non solum propter tempus tertium , quod supra commemoravi , quia ibi incipit HEBDOMADA TERTIA , sed etiam propter ipsam TERTIAM conversionem ab exterioribus ad interiora , de luna similitudo assumetur . Quod suo locore linquimus . Si vero hoc sensu accipiamus , ut intel-

C

ligatur

figurum Regnum Christi non esse *de hoc mundo*, & parte superiori,
 quæ terricolis non conspicitur, à Christo illustrari, cogitatio saltem
 pia est; Notum etiam est, V. T. cum nocte, quara luna, & N. T.
 cum die comparari, quem sol regit, Christus autem sol *Justitia* est
Mal. 4. 3. Ad rem præsentem magis facere videtur, quod dies fuerit
 mensis XV. adeoque initium *TERTIÆ* septimanæ, uti observat
Augustinus, quia initium *TERTIÆ* oeconomicæ, quæ N. T. est,
 sanguine suo dedicare Christus debuit: Non tamen cuiuslibet men-
 sis, sed tantum *Abib* dies XV. opportunus videbatur Paſſioni Chri-
 sti, quoniam *Paſcha* erat; Hoc *transitum* sonat, quo refert *Auguſt.*
Joh. 13. 1. ante festum *Paſcha*, sciens Jesuſ, quod veniſſet hora
 ipſius, ut *transiret ex hoc mundo ad Patrem* &c. potius tamen hoc
 nomen gerit, quia Deus, dum primogenitos Egyptiorum necabat,
transiſit præter ostia Israëlitarum, videns postes eorum fanguine
 agni tinctos *Exod.* 12. 13. quare etiam *agnus*, cuius sanguis *transiſ-*
tus hujus cauſa, vocatur *Paſcha* *Exod.* 12. 21. *Luc.* 22. 7. Christus
 autem *noſtrum Paſcha* est i. *Cor.* 5. 7. debebat ergo in *Paſchatis* feſto
 maectari. Non tamen ea die & hora, qua *agnus* paſchalis occide-
 batur & parabatur, decebat enim *antitypum* ſequi *typum*, & cor-
 pus umbram: Imo maectio agni umbratilis, anticipabat quaſi
Paſchatis diem, Christus autem ut *verum Paſcha*, *ipſo primo paſcha-*
tis die oblatus est. Incipiebat ille à vespера, qua *agnum* comedē-
 bant, & nocte qua emiſſus angelus percuſſor *Exod.* 12. 23. Ea vere &
 proprie erat *Paſcha* v. 11. 12. qua Deus judicium exercuit in *Ægy-*
tios, & peccatum deis ſumſit; Atque hac ipſa nocte, princeps hujus
 mundi exiit adverſus Christum, atque Deus Judex poenam ſumſit
 de peccatis hominum, quæ in *agnum* hunc Paſchalem irruerant,
 adeo ut ante iſtius *νυχτημέρα* finit, mortem obiret: *Hoc die XV.*
 Nisan dimiſſi ex *Ægypto* Israëlitæ, qui VIImo ab eo die, nempe
 XXImo Marc rubrum egressi, ab *hostiis* eos inſequentiibus & fuſ-
 focatiſ, plane liberati. Eodem itaque die per Christum impetrata ma-
 numiſio & libertas, cuius fructum pleno demum titulo conſequitur
 Ecclesia, *vindice ſui*, omniibusque hostiis judicio diuino ſubstra-
 tis

tis & interentis ; Denique nec perinde esse videbatur , Christum
quolibet die XV. mensis Nisan (qui alias in quemcunque septimanæ
diem incidere poterat) pati & mori , sed ita direxit divina sapientia ,
ut judicium Dei experiretur , & satisfaceret *illo* die XV. Nisan , qui
erat *SEXTUS* hebdomadae . Observavit jam Augustinus nume-
rum VII. perfectionis esse & *mysticum* . Illud fundamentum habet
in *prima* mundi *hebdomada* , qua Deus Creator opus perfecit , quod
Novæ Creationis typus erat : Die *sexta* homo conditus , operum
Dei Colaphon . Quod si probari posset , *eodem* die hominem esse
Iepsum , & à Deo in judicium vocatum , egregiam possemus ostendere
convenientiam inter *sextum* diem *prima* hujus hebdomadae ,
& illum *sextum* quo Christus in judicium vocatus , Adami pecca-
tum expiavit ; Sed hypothesin incertam , imo falsam , mittimus ;
Certius est , quod *hoc* dic *sesto* opus creationis *consummatum* , at-
que ex *Adamo dormiente* condita *Eva* . In eo typus erat *consum-
mationis* operis *Gratia* , & *Ecclesia* ex aperto Christi mortui latere
prodituræ , confer . Ephef . 5. 23. -- 28. Opus Christi ut Salvatoris
duas quasi partes habet , *impetrare* enim salutem debuit & *applica-
re* ; Illud *satisfaciendo* , hoc vero actu *salvando* s. vitam & salutem
conferendo peragit , utrumque autem consummat per gradus ; Il-
lud quidem reatum in se suscipiendo , patiendo & moriendo ; *Hoc*
autem Ecclesiam colligendo , sanctificando , regendo , glorificando ; Hinc *duplex* Christi *adventus* , ad utrumque hoc opus diversis
vicibus perficiendum Hebr . 9. 28. *Alter* in *fine* seculorum , quando
hostibus omnibus devictis regnabit gloriosus , suosque demum , ju-
dicio extremo peracto , in gloriam cœlestem ducet , atque ita
Deo & Patri *Regnum* tradet i. Cor . 15. 24. *Prior* in *fine* prioris tem-
poris V. T. exspirante scil . *sexta* ejus *periodo* , in requie N. T. ter-
minanda . Quemadmodum ergo Deus *Creator* opus suum per-
fecit die *sesto* , quando crebat hominem ad imaginem suam , at-
que ex latere dormientis Adami uxori formabat ; Ita Christus
suum opus perfecit , quando apparuit tanq . *Filius hominis* , qui gera-
bat imaginem Patris Hebr . 1. 3. atque moriendo sanguinem effudit ,

ex quo tanq. ex latere ejus *aperto*, uxor ipsius *Ecclēsia* efformaretur. Debuit ergo & sexto tempore apparere & sexto septimanæ die mori, ut constaret, ipsum moriendo hoc suum opus, ad quod perficiendum missus, vere consummatæ, quod & ipse Christus testatur, quando exspirans dixit *consummatum est* Joh. 19. 30.

§. XII.

Eadem divina sapientia ex consimilibus causis disposuit, ut Christus die SABBATHI integro sepultus esset & maneret. SABBATHUM commendatum est priori populo in oio corporali temporaliiter, ut figura esset Sanctificationis, in requiem Spiritus S. dicit August. Epist. 119. Injunxit ejus celebrationem Deus præcepto IV. quon. ipse, opere creationis per VI. dies consummato, requievit die VII. Simul vero ad eductionem populi ex Ægypto præcedenti die factam respicit, nam qui legem hanc dabat, erat Deus qui eduxerat populum ex Ægypto Exod. 20. quæ ut generalis totius legis ratio erat & obligationis vinculum, ita specialius observandi Sabbathi; Memento quod & ipse seriens in Ægypto & eduxerit te inde Dominus Deus tuus, in manu forti & brachio extenso, idcirco præcepit tibi, ut observares DIEM SABBATHI Deut. 5. 15. Primum illud Sabbathum quando Deus quiescendo sanctificavit, eique benedixit Gen. 2. 2. 3. indicate voluit, quis omnium operum suorum finis, nempe, ut ipse gloriam in iis consequendo, iis acquiesceret, atque creaturæ, maxime rationales ad ipsius Sabbathum perductæ, in Deo conquiescerent quiete sempiterna. Quare septem dies genesis legens, invenies seprimum sine vespera, quia requiem sine fine significat, dicit August. l. c. Utivero Creatio prima secunda, & opus Creatoris operis Redemptoris typus est; Sic & Sabbathum primum illius quietis, qua sequitur consummatum opus Redemptoris, figura est; Per primam creationem ex tudi & inertii mole, aquis vi expansi discedere jussis, efformabatur cum suo ornatu Mundus, cui homo præpositus, ut beneficiis illis Dei frueretur, & ad illius gloriam omnia referret, in quo verum consideret Sabbathum. Per Redem-

(21)

Redemptionem, interposita satisfactione, homo corruptus liberatur à reatu, & ad imaginem Dei efformatur, ut sit ad gloriam Dei cum propria salute: *Sabbathum ergo spirituale & verum est*, quando & peracto operi acquiescit *Redemtor*, & Redemti ab operibus mortuis reatus & peccati *servilibus* liberati, in Christo vera & perfecta fruuntur quiete: Praefiguratum hoc fuerat olim per educationem ex Aegypto & introductionem in terram Canaan. *Servitus Aegyptiaca & argumentum & typus erat servitutis peccati & reatus*; Ab ea liberabantur, quando educti intromittebantur in possessionem terræ Canaan, quare etiam vocatur *requies Dei* Ps. 95. Eo vero præfigurabatur alias *SABBATHISMUS* populo Dei relictus, quo & ille & Deus *requiesceret* ab operibus suis Hebr. 4. 4. -- 9. Duos autem is pro duplici Christi munere gradus habet; Nam *consummationem* operis, quod in *applicando* salutem impetratam consistit, sequitur *Sabbathum* perfectissimum & *eternum*. Consummationem autem operis *quo impetrat salutem*, *SABBATHUM* excipit, *quies* sc. ab omni opere, quod lex daminans postulabat à peccatore, quodque dum executus est Sponsor, justitiam æternam adduxit, per quam pacem habemus cum Deo Rom. 5. & *animarum requiem* Matth. 11. quod *Sabbathum* N. T. est, in hac etiam *vita* sub Regno Christi, quod est *justitia, pax & gaudium* per spiritum Rom. 14. 17. *agendum*; Hebr. 4. Utrumque sub *Sabbathi hebdomadalis* figura adumbratum, maxime tamen, quod *consummationem* illius operis, quo falso *impetrata*, sequitur, & quod in *hac vita ingredimur*, Hebr. 4. Hoc enim respondet *liberationi ex servitute Aegyptiacæ*, cuius memoriam in celebratione Sabbathi recolebant Judæi Deutr. 5. Consistit illud in *liberatione* Terræ, adeoque Ecclesiæ à maledictione, (ex qua durus ille labor & manuum dolor sub peccati reatu) facta per *expiationem* peccati & *justificationem* Sponsoris. Atqui vero utrumque factum eo tempore, quo Christus in terra sepultus, siquidem postquam *die sexto* opus *consummaverat* Sponsor, Spiritum Patri commendans, cœlum ingressus atque coram Deo judice *justificatus, premium laboris consecutus est*, dum ab omni debito, & molesto

molesto propter peccatum labore liber declaratus, *jus & potestatem* accepit *salvandi suos*: Et uti *summus sacerdos* illato in *Sanctuarium sanguine*, sic Christus illato in *cælum Spiritu à corpore soluto, benedictionem* acquisivit: *Corpus vero*, cui ut mortuo & in cruce pendenti maledictio incumbebat, Deut. 21. à superficie terræ amotum, atque intra ejus viscera absconditum, ut ita *maledictio simul amoveretur*, atque terra sive Ecclesia vero frueretur *Sabbatho*. Concludimus ergo convenientissimum fuisse Christum ipso Sabbathi *κυριερῷ* quoad Spiritum in *cælo* comparere, quoad corpus vero in terra sepultum manere, & quidem tali Sabbatho, quod immediate præcederet dies sextus qui simul Paschalis erat, ut non tantum antitypus responderet typo, sed & de fructu consummati operis redemtionis constaret, nempe vera quiete, ut Christi sic & Ecclesiæ; Hoc adeo certum est, ut eandem ob causam Sabbathum illud typicum, quod quietem hanc ceu futuram præfigurabat, post quietem illam impetratam abolendum fuerit Col. 2. 16. quia implementum suum in hac quiete Christi, atque inde promanante Ecclesiæ quiete, consecutum est.

§. XIII.

DEnique M Y S T E R I I ratio postulabat, ut die septimanae PRIMA in vitam revocaretur & resurgeret Messias, quod præcepto de oblatione manipuli codem die facienda præfiguratum Lev. 23. 11. coll. 1. Cor. 15. 20. 23. Ut vero dies ista respectu sequentium prima, sic respectu VII. præcedentium OCTAVA est: Oeconomia N. T. Creatio novi Cæli & novæ terra vocatur Jes. 65. 17. & 66. 22. Apoc. 21. 1. 2. Petr. 3. 13. tum quia V. T. oeconomia, quæ etiam sub simbolo Cæli & terra venit, commovenda & amovenda, tum quia novum illud Regnum Cœlorum & Dei introducendum Hebr. 12. 26. 27. cuius consummatio in fine seculorum expectanda, initium autem in promulgatione Evangelii & vocatione gentium habuit: Itaque juxta numerum dierum hebdomadæ primæ creationis, SS. septem N. T.

(23)

N. T. periodos sive tempora commemorat, quod ex Apocalypsi notissimum est, & vel inde etiam constat, quod Sabbathum hebdomadale consummationem ejus connotaverit: PRIMUS itaque dies N. T. juxta typum *prima* creationis, quando futuri operis materia condita, atque lux producta fuit, *ille* dicendus, quo præcipua N. T. bona, justitia & libertas Ecclesiæ *parta* & *denunciata* sunt, uti & Apostolus Evangelii prædicationem cum Creatione lucis confert 2. Cor. 4. 6. Utrumque autem factum *in resurrectione* Jesu Christi; Per eam enim ipse demonstratus *Dei Filius* in potentia Rom. 1. & faetus vivorum & mortuorum *Dominus* Rom. 14. qui ab ea statim *Rex in Monte Zion* constitutus, *Regnum N. T.* orsus est. Porro surgens *lintermina*, signa mortis & maledictionis in terra reliquit, suscitatus ad *justitiam* nostram Rom. 4. atque ut nos in *novitate vita* ambularemus Rom. 6. 4. & quidem in vera *libertate* N. T. delecto chirographo, expoliatis principatibus, abrogato iugo legis cerem, umbrisque cessantibus Col. 2. 12, 13, 14, 15, 16, 17. Quoniam cum ipso suscitato positi sumus in *supræcelibus* Ephes. 2. 6, ut quærainus ea quæ *superna* sunt Col. 3. atque in terra militantes *πολεμουσα* habeamus in Cœlis, ad *Hierusalem* cœlestem adducti Hebr. 12. 22. tanq. *cives Regni Cœlorum*. Ex quibus evidens est, à *resurrectione* Christi *Creationem Novi Cœli & Nova Terra initium* ducere, quare & surrexit cum *terra motu*, abolendæ economiæ V. T. indice, & discipulis sub *alia forma* Marc. 16. 12. apparuit; Ipse enim per Resurrectionem consummatus, rursus *introductus in orbem habitabilem* *Primogenitus* Hebr. 1. 6. & à *Deo Pacis* ex *Magnus ovium Pastor* ex mortuis per *sanguinem* *Testamenti eterni* redactus Hebr 13. 20. Regnum cœlorum N. T. promulgavit, quando *eu Princeps Pacis* discipulis *pacem* annuntiavit, & Apostolos ad *predicandum* *Evangelium* instruxit Joh. 20. 21. locutus *de Regno Dei* Act. 1. 3. Oportebat itaque cum resurgere die septimanæ PRIMO, ut figuram dei Creationis PRIMI adimpleret, atque constaret per resurrectionem ipsius aboleri V. & introduci N. T. adeoque fructum ejus esse *justitiam, pacem, libertatem, statum cœlestem,*

œclestem, totiusque œconomia F. G. immutationem, unde *nova* illa Novi Test. septimana initium ducat; Est vero hæc prima dies cum respectu ad VII. præcedentes, tanq. quæ Sabbathum sequitur. **OCTAVA:** Hanc *Octavam* autem esse *Mysticam*, facile intelligimus, si attendamus, Deum sub poena excisionis præcepisse, ut præcisè *octava die* circumcidetur Masculus Gen. 17. aliosque ritus Leviticos huic adstrictos tempori, in purificatione *Leprosi* Lev. 14. 10. 23. & *gonorrhœa affecti* Lev. 15. 14. & *sanguinis profluxu* laborantis ¶ 29, nec minus *octavam* diem Festi Tabernaculorum etiam *sanctam esse*, & *Sabbathum* Lev. 23. 36. 39. Novimus plures inter veteres obseruantes resurrectionis Christi diem esse *OCTAVAM*, qua ratione eam cum circumcisione comparant: *Justin. M. Dial. cum Triph. p. m. 201.* docet, *Circumcisionem die octava peragendam* *in* *uitio* *fuille* *aduidus* *improuus* *ab errore & pravitate*, *per eum qui à mortuis resurrexit una Sabbathorum*, *qua Octava vocatur, & PRIMA sicut est, manet*: Eadem rationem à resurrectione Christi desumptam, *octiduane* circumcisionis reddit *August. de verb. Apost. Serm. 15. Tom. 10. & de Temp. Serm. 141.* Et certe prout Apostolus Col. 2. II. 12. 13. docet, *resuscitatos cum Christo circumcisos esse circumcisione excep-
to* *ntio* *ad eo que circumcisionis mysterium in resurrectione Jesu Christi esse completum*, ostendit; Peregrinum videri non debet, *si diem circumcisionis cum die resurrectionis Christi comparcimus*, eumque ceu consummationis emblemata spectemus; Pro diversa autem numerandi ratione vel *totam œconomiam N. T.* cum respectu ad septimanam V. T. præteritam, vel ipsam *beatam aeternitatem*; quæ N. T. œconomiam sequitur, dies hæc *octava* denotare potest. Scilicet si opus *impetranda salutis* spectemus, quod in fine VII. dierum s. periodorum V.T. per Christum, qui per *semetipsum purgatione peccatorum nostrorum facta*, *consedit in dextra Majestatis in excelsis* Hebr. 1. 3. consummatum est, hic dies VIII, Sabbathum illud Sponsoris consummati excipiens, ipsum *Regnum Cælorum*, sive œconomiam œclestem sub N. T. significabit; Si vero negotium applicanda salutis consideremus, cuius demum in *vita eterna expenda*

pectanda est consummatio, atque diem VIII. vel ad VI. periodos
 V. T. & Sabbathum ejus quod per totam oeconomiam N. T. durat;
 vel ad VII. periodos Regni Cœlorum N. T. referamus, denotabit Re-
 gnum Glorie, beatamque vitam post seculorum consummationem
 expectandam. Hinc est, quod Augustinus aliisque per hanc O-
 CTAVAM aliquando Regnum Gratiae sub N. T. aliquando Regnum
 Glorie post hanc vitam, intelligent: Ita quem diximus, Augusti-
 nus Mysterium hujus OCTAVÆ dici, de temp. Serm. 141. refert ad
 resurrectionem spiritualem, qua fit expoliatio CARNALIS VITÆ
 octava die per resurrectionem Christi &c. Dum octava die resurgen-
 do nos INNOVAVIT. Adde Cypr. l. 3. Epis. & Athanas. serm. de
 sabbatho & circumcisione. Alibi vero Augustinus de verb. Apost.
 serm. 15. dicit: Domini resuscitatio nobis promisit AETERNUM diem.
 Et Cypr. serm. de rat. circumc. per illum diem OCTAVUM intimau-
 tum esse dicit, quod AETERNAE beatitudinis, quam post hujus vita
 septimanam, OCTAVA consequitur, heredes fierent. Nihil fre-
 quentius est, quam ut OCTAVA, & quidem illa dominica, figura
 agnoscatur seculi futuri, beatæ aeternitatis, tanq. *alle luces apxii*
 vid. Le Moyne Var. Sacr. Epis. Barnab. pag. 41. & in Not. pag. 867.
 seqq. ubi multa ex Hieron. Augst. Ignat. Constat. Clem. producit
 testimonia, deque OCTAVA Festerum, aliisque huc spectantibus
 agit, atque inde esse docet, quod Veteres tanta cum cura diem
 Dominicam celebrarent, quia Symbolum erat OCTAVÆ diei, in
 qua omnia renovata in eternum confirmabuntur & durabunt, nulli
 amplius vicissitudini & mutationi obnoxia. Quum itaque resur-
 rectio Iesu Christi, & exemplar & causa sit beatæ resurrectionis
 nostræ Rom. 8.1. Cor. 15. juxta sapientissimum Dei consilium de-
 buit Christus resurgere die OCTAVA, sive prima septimanæ novæ,
 qua Iudei manipulum hordeaceum in figuram resurrectionis affe-
 rebant, ut ita non solum typum OCTAVÆ circumcisionis, purifi-
 cationis & Festi Tabernaculorum DIET adimpleret, sed & hac ip-
 sa temporis circumstantia nobis fructum resurrectionis suæ, sc. sa-
 lus nostræ consummationem, porro adventum gloriosum ad ju-
 dicium,

dicum, quando veniet noctu, sicut fur Matth. 24. & 25: *Resurrectionem nostram, novamque lucem gaudii & vitae eternae, obsignaret.*

§. XIV.

Qui ergo ob grande MYSTERIUM debuit SEXTO die septimanæ mortem obire, SEPTIMO vero in sepulcro quiescere, & OCTAVO vel PRIMO alterius hebdomadæ resurgere, cum sane opòrtebat resurgere Dñe à morte TERTIA, quod erat demonstranduna; Addere possemus qua ratione Ecclesia, quæ corpus Christi est, in suis fatis atque eorundem vicissitudine huic Capiti suo conformari debuerit; Verum hic subsistimus, atque ex formula benedictionis, quam Kalend. Jan. in Ecclesia Occidentalib[us] solebant fidelibus impertiri ii, qui sacro ministerio fungebantur, vid. *Le Moyn l. c. p. 868.* pio voto finimus; *Faxit Deus perseverare nos in novitate virtutum;* *Quo sic in senarii numeri perfectione in hoc seculo vivamus, & in septenario inter beatorum spirituum agmina requiescamus, quatenus in Octava resurrectione renovati, jubilei remissione ditati, ad gaudia sine fine mansura perveniamus;* Amen.

COROLLARIA.

- I. *T*heologia Naturalis, licet peccatori ad salutem non sufficiat, insig[n]em tamen circa Revelatam usum habet.
- II. Hujus enim & necessitatem & decentiam illa ostendit & demonstrat.
- III. Atque quemadmodum Revelatio, illud quod de Deo docet Ratio, supponit,
- IV. Ita Evangelium eadem officia, que Conscientia ex Natura Lumen dicitat, Ex FIDE praefanda injungit.
- V. Quare etiam Apostolus ad convincendas & convertendas Gentes, easque ad Evangelii fidem perducendas, Naturalis Theologie principiis Rom. I. Act. XIV. & XVII. usus est.

7e 2511

ULB Halle
002 379 813


3



7300

VDCH VD18





27.
39
26.

DISSERTATIO THEOLOGICA DE DIE TERTIA, QUA CHRISTUS RESURREXIT, Act. ap. x. v. 4o. EJUSQUE M Y S T E R I O,

L v A M
In Alma & Perantiqua Universitate Heidelbergensi
P R A E S E S
JOH. CHRISTIAN KIRCHMEIER,

SS. Theologiæ Doct. & Profess. Consil. Ecclesiast. Pal.
& Eccles. Reform. ad S. Petr. Past.

Atque
R E S P O N D E N S
JOHANNES TILEMAN d. SCHENCK
Hafso - Marburgensis

Placida DD. Commilitonum Disquisitioni
I N A U L A A C A D E M I C A W I L H E L M .
Hor. confervata A. d. 19 April. Anno M. D CC XVII.

Exponunt.

H E I D E L B E R G E ,
Ex Typographo JOANNIS MAYERI, Typogr. Aulico - Academi.